

iniquus. Præbeatur innocentibus caritas mutuae fraternitatis, nec negetur offensis spes salutis & indulgentia pietatis. Et si aliquis eundem locum expetierit suae humilitatis & salutis gratia, minime a venia & optata misericordia excludatur, sed oleo medicamenti salutis fovendus benigniter colligatur; quia & iustum sic est, ut in domo pietatis & iusto præbeatur dilectio sanctae fraternitatis, & ad veniam confugiendi peccatori non negetur medicamentum indulgentiae & salutis. Sit autem omnibus ibi advenientibus causa salutis hic, & in perpetuum divinae misericordiae & pietatis refugium, & apostolicae benedictionis & absolutionis praesidium. Decernimus præterea, & omnino constituimus, ut prædicti loci obeunte Abbate, non ibi alius cuiuscumque personae violentia constituatur ordinandus; sed ab ipsa Congregatione loci secundum timorem Dei & institutionem legislatoris Benedicti, pater, qui sibi praesse debeat, eligatur; & ad eum ordinandus, quicumque illis placuerit, Episcopus ad vocetur. Quaecumque vero terras nunc tenes, & quas tu tuique successores acquirere potueritis, in perpetuum possidendas concedimus vobis. Siquis autem temerario ausu, quod fieri non credimus, contra huius nostrae apostolicae confirmationis seriem venire aut agere temptaverit, sciat, se Domini nostri Jesu Christi & Apostolorum Principis Petri anathematis vinculo innodandum, & cum diabolo ejusque atrocissimis pompis atque cum Juda traditore Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, in aeternum ignem concremandum, simulque in voraginem tartareumque chaos demersum cum impiis deiciendum. Qui vero custos & observator nostri privilegii extiterit, benedictionis gratiam & vitam aeternam a Domino consequatur &c.

Abbas per Monachos ex Congregatione eligendus; Et a quolibet Episcopo ordinandus.

Anathema in violatores Privilegii huius.

X.

Approbatio Privilegii a Petro Florentinae Ecclesiae Archiepiscopo Monasterio S. Petri concessi; & bonorum ad hoc spectantium confirmatio.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, Carissimo fratri Petro Florentino Episcopo suisque successoribus.

Ex Canonica huius Archiepiscopi edicti Ughelli Sac. Tom. III.

Exordium.

PIÆ postulatio voluntatis affectu debet prosequenti compleri, quatenus & devotius & sincerius laudabiliter innotescat, & utilitas postulata vires indubitanter assumat. Et quia fraternitas tua insinuavit sanctae Apostolicæ Sedi, se ad communem Sanctimonialium usum in Ecclesia sancti Petri, sita in suburbio Florentinae civitatis, Monasterium constituisse, & prædiorum tam a te quam etiam a quadam religiosa femina nomine Gisa nonnulla beneficia eidem Ecclesiae collata esse, non solum devotionis tuae studium laudamus, sed ordinationis tuae constitutionem, quam interim per donationis paginam eidem Ecclesiae fecisti, auctoritatis apostolicæ privilegio confirmamus; atque in perpetuum ratum firmumque fore corroboramus etiam præfata Ecclesiae tum ea, quæ nunc iuste, quæque a prænominata matrona collata sunt, quam quæ ab

eadem seu cæteris in futurum iuste conferenda sunt fidelibus. Sub divini igitur iudicii obtestatione statuimus, ut neque Rex, neque Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, sed neque Episcopus, aut aliqua præditi dignitate, postremo nulla magna parvaque persona sub cuiuslibet causâ & occasionis specie, huius nostræ apostolicæ sanctionis decretum infringere seu ea, quæ jam iuste collata sunt, quæque in futurum sunt iuste conferenda, aliquo modo ac studio minuere vel auferre præsumat. Quod si aliquis temerario ausu hanc confirmationis nostræ paginam violare præsumperit, & admonitus a te; seu a successoribus tuis, emendare contempserit, auctoritate beatorum Apostolorum Petri & Pauli sciat se excommunicatum, & poena centum librarum auri multandum. At vero qui observator extiterit, repleatur abundantia Apostolicæ benedictionis. Datum Laterani XI. Kal. Junii per manum Petri S. R. E. Subdiaconi, & Bibliothecarii anno sexto Pontificatus D. Alexandri Papæ secundi, ab Incarnatione vero Domini MLXVII. Indictione VI.

Decretum pro libertate Monasterii huius, ejusque bonorum.

Spirituales, & corporales pæna contra inobservantes.

Dat. die 23. Maii anno Domini 1067. Pontif. Alexandri anno VI.

XI

Ferrarienses Canonici cum bonis omnibus, ad eorum Canonicam pertinentibus, sub protectione Sedis Apostolicæ suscipiuntur.

Vid. in Victore II. Const. Si iustus &c. Dat. Anno 1055.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei, Everardo Archiepiscopo, & Romano Archidiacono, & reliquis Canonicis sanctae Ferrariensis Ecclesiae, suisque successoribus, in perpetuum.

Ex Ughelli. Ital. Sac. T. 6. II. col. 567.

Exordium.

SI iustis Servorum Dei petitionibus satisfecerimus, proculdubio apostolica præcepta servamus. Quapropter inclinati precibus vestris, filii charissimi, vos, vestraque bona in munimine apostolicæ defensionis suscipimus; atque confirmamus & corroboramus vobis vestrisque successoribus Canonicis, quicquid iuste habetis, id est, villam, quæ dicitur Quartifaria, & fundum contra Padum, & locum Cuculi, & caput Redæ, & Baniolum, & Vvatiaticam, & fundum Pecorile, villam, quæ dicitur Fossa nova cum capella sancti Marci ibidem sita, Ecclesiam quoque sancti Stephani in burgo Ferrariæ cum omnibus, quæ ei attinent. Insuper etiam medietatem decimationis plebis sancti Georgii in Episcopo, medietatemque omnium rerum, quæ pro animabus fidelium defunctorum eidem Ecclesiae relinquuntur tam mobilium quam immobilium, totam etiam decimam totius villæ, quæ dicitur Cocomario, & cætera, quæ eidem Canonicæ pertinent, scilicet terras, vineas, prata, agros cultos & incultos, aquas, aquarumque decursus, piscationes, venationes, seu molendina, servos & ancillas, aldiones & aldianas: quicquid habetis tam de parte Ecclesiae quam de vestrorum parentum hereditate; necnon duodecim homines illius loci, qui navigent, quocumque usus vester fuerit, sine omni pretio: seu cunctas res mobiles & immobiles, vel quicquid deinceps iuste acquir-

Bona, quæ Ferrariensis Ecclesiae Canonicis confirmantur.

acquisti estis, ea videlicet ratione, ut nullus in vos jam dictos Canonicos, sive vestros successores, distringere vel molestare audeat, neque vestros colonos vel colonas, vestrasque facultates, sine voluntate & consensu ipsius Ecclesiae Presulis. Statuentes igitur iubemus, ut quiete & pacifice omnia, quæ super leguntur, teneatis & possideatis, omnium hominum contradictione remota; ita ut nullus Dux, Marchio, Archiepiscopus, Episcopus, Comes, Vicecomes, nullaque magna vel parva persona, de cunctis prænominatis rebus, tam de ecclesiasticis quam de propriis, vos vestrosque successores molestat, sive in placitis conturbet, vel colonos vestros aut colonas distringere, seu publicam functionem solvere cogat. Quod qui temerario ausu fecerit, nisi infra quadraginta dierum spatia emendaverit, anathematis vinculo obligetur, & a limitibus sanctae Ecclesiae alienetur usque ad dignam satisfactionem. Qui vero custos huius nostræ sanctionis extiterit, benedictionem & gratiam omnipotentis Dei, & beati Petri Apostolorum Principis, & nostram habeat, & in futurum aeternam retributionem percipiat. Amen.

Anathema contra violatores &c.

Dat. die 20. Junii anno Domini 1068. Pontif. Alexandri anno VII.

Datum XII. Kal. Julii per manum Petri, fungentis vice Sacro-Sanct. Rom. Eccl. Subdiaconi Bibliothecarii, anno ab Incarn. Domini 1068. Septimo vero Pontificatus D. Alexandri Papæ Secundi, Indict. VI.

XII.

Confirmatio rerum omnium, ac Privilegiorum S. Salernitanæ Ecclesie.

Ex Tabulario Mensæ Archiepiscopali edicti Ughelli. It. Sac. Tom. VII.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei, Salernitanæ Ecclesie, quæ est B. & gloriose semper Virginis Dei Genitricis Mariæ, ubi etiam Apostoli gloriosum Matthei & Evangelistæ Corpus, cum BB. Martyribus Fortunato, Gajo, & Anthes, requisivit, & per eam confratri Alfano ejusdem Ecclesie Archiepiscopo, suisque successoribus, in perpetuum.

Exordium.

EX consideratione Pastoralis cure, quam ex administratione Apostolicæ Sedis gerimus, quum Deo auctore sicut indigni discernimus omnium, quæ sunt, Ecclesiarum proventui invigilare, ac iustis fidelium postulacionibus acquiritatis assensum præbere, necessario compellimur viscera deserere, ne Dominico Gregi debita consolationis suffragium videamur subtrahere. Unde, charissime frater Alfane Archiepiscopo, quia devotio tua honestis moribus facta postulare studuit, quatenus statuta & privilegia, quæ sanctissimi Prædecessores nostri apostolica auctoritate Salernitanæ Ecclesie, tuisque Prædecessoribus sanxerunt, nos tibi tuisque successoribus firmaremus, tuis precibus, quia a iustitia discrepare non videntur, libentissime annuimus. Qua de re huius nostri privilegii authentica constitutio concedimus & confirmamus tibi totam ex integro Salernitanam Ecclesiam, quæ est Archiepiscopalis Sedes infra Urbis mænia constituta, cum omnibus, quæ sibi pertinent tam hereditario quam Parochiali jure, sicut illam integram habuere & tenere Prædecessores tui

Alphano Archiep. Salernitana Ecclesie cum bonis omnibus ad eam spectantibus confirmatur.

Bull. Rom. Tom. II.

Episcopi & Archiepiscopi; itant tui juris, tureque potestatis, quicquid ad Ecclesiasticum & Episcopale pertinet officium tam intra Salernum quam per omnem Salernitanam Parochiam, canonica dispensatione requirere & ordinare, & canonicis Ecclesiis diversorum Ordinum Clericos ad servitium Dei provehere & ordinare: in Monasteriis quoque & Abbatibus Abbates providere & benedicere, & Dei servitio & utilitati semper consulere, ut omnia fiant favore Deo ad incrementum sanctae Ecclesie. Archiepiscopalis etiam Magisterii Prædecessoribus tuis Apostolica auctoritate concessum, fraternitati tuae confirmamus, ut liceat te intra scriptam provinciam Episcopos juxta sacrorum Canonum statuta congruis in locis ordinare, & quæcumque Metropolitanis sanctorum Patrum statuta attribuant, tibi concedimus licere. Ad hæc etiam apostolicæ auctoritatis sanctione confirmamus tibi tuisque successoribus, quæcumque Prædecessores nostri, Imperatores, Reges, Principes, vel quicumque fideles, sanctae Salernitanæ Ecclesie contulerunt, & ea quæ Gislelfus fidelis noster, qui nunc Salerni clare principatur, liberali munificentia contulit, & collaturus est. Nominatim autem dicimus: Ecclesiam S. Martyris Viti, quæ constructa est juxta plateam, quæ dicitur ad portam Elini, cum omnibus suis pertinentiis, quam Landimorius filius Ademarii scripto jam dictæ Ecclesie obtulit: & Ecclesiam S. Gramatii cum suis pertinentiis, & casas illas, quæ sunt juxta eandem Ecclesiam, quas Malfrid & Adelfrit tuo Episcopo obtulerunt: Sed & Monasterium S. Viti, quod constructum est juxta Salernum prope litus maris cum suis pertinentiis, quod Ecclesia tibi commissa, a prædicto Gislelfo Principe commutationis ordine recepit: Terras quoque & partes, pro quibus super Troytium de Rota pro tuo Episcopo & cæteris Salernitanæ Ecclesie interpulasti, quod invafas detinuerit; unde eum Salerni, nolentem justitiam facere, excommunicavimus, quas postea respiciens Capua in nostram manum legaliter reddidit; videlicet quæcumque uno anno, prius quam ipse Rota intraret, & Salernitanæ Ecclesie tenebant, quæ juris tuæ Ecclesie fuere, tibi tuisque successoribus reddimus & confirmamus, & per te cæteris Ecclesiis tua... Castellum quoque Olibani, & Cryptam S. Angeli, quæ dicitur montis Aurei, cum omnibus eorum pertinentiis, & cunctis, quæ Wilelmus filius Tancredæ, & Wimundus Miles suus in nostram manum reddidere: Et universa, quæ prædicta Salernitana Ecclesia iuste & legaliter habuit, vel quæcumque contractu acquisita est, tibi, tuæque fraternitati Ecclesie commisitæ concedimus & confirmamus, & in perpetuum stabilimus, tam ea, quæ Ecclesiastici regiminis sunt, quam quæ hereditate juris; contestantes sub protestatione anathematis, ut nullus umquam alicujus dignitatis vel potestatis homo audeat temerario ausu aliquam violentiam tibi, tuæque Ecclesie inferre, vel justitiam aut dignitatem minuere: salvo in omnibus Apostolicæ Sedis privilegio. Si quis vero contra huius nostræ constitutionis privilegium, vilipendens apostolica statuta, temere agere præsumperit, aut præsumptibus fautor extiterit, iudicio sancti Spiritus sciat se auctoritate B. Petri Apostolorum Principis, & nostra, anathematis vinculo

Metropolitici jus validatur.

Confirmatio Regalium omnium a Pontificiarum donationum.

Peculiaris enumeratio nonnullarum Ecclesiarum aliarumque rerum juris Salernitani Archiepiscopi.

Decretum immunitatis bonorum huiusmodi.

Censuræ contra Scaturorum horum violatores.



Io innodatum, & ut transgressorem terminorum, quos sancti Patres nostri posterunt, cum diabolo & transgressoribus angelis, canonica traditione, & eternis suppliciis deputatum. Observantibus autem & devotis gratia & benedictio a Domino Deo nostro multiplicetur: & intercedente B. Dei Genitrice Maria, & B. Mattheo Apostolo & Evangelista, aeterni Regni particeps effici mereatur.

Dat. die 12. Octobris anno Domini 1068. Pontif. Alexandri an. VIII.

Datum Capue IV. Id. Octobris per manus Petri S. R. E. Subdiaconi, & Bibliothecarii anno VIII. Pontif. Dom. Alexandri Papae II. Indictione VII.

XIII

Confirmatio bonorum, a Guillelmo Tancrede Filio eidem Salernitanæ Ecclesiæ oblatorum & restitutorum.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei.

Mid.

Synodus Melphensis sub Alexandro II. PP. Res in eo gesta pro Salernitanæ Ecclesiæ.

Notum sit omnibus S. Ecclesiæ filiis, quoniam in Synodo, quæ VI. Pontificatus nostri anno apud Melphim in Ecclesia B. Petri Apostolorum Principis, quæ est ejsdem Civitatis Sedes Episcopatus, presidentibus nobis, & aliis Coepiscopis & Abbatibus, die Kalendarum Augustarum celebrata est, constiterit noster Alphanus S. Salernitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus de hereditatibus eidem Ecclesiæ pertinentibus, quas Guillelmus filius Tancredæ, & milites sui invaserant, querimoniam fecit. Unde eum a nobis hac de ratione vocatum, ut, quæ violenter invaserat, juste eidem Ecclesiæ redderet, paterna caritate monuimus: sed quia in contumacia sua perdurans obedire nobis & tanto conventui noluit, iudicio totius sacri Concilii eum & fautores suos a liminibus S. Ecclesiæ sequestravimus, & anathematis vinculo, quousque resipisceret, innodavimus; sed postea inspirante sibi illo, qui neminem vult perire, ad poenitentiam & ad emendationem, cum Salerni effemus, ante nostram presentiam cum militibus suis humiliter venit; quapropter Episcoporum & Abbatum & aliorum fidelium congregato conventu, inter quos fuerunt Joannes Tusculanensis Episcopus Cardinalis, & Ildebrandus S. R. E. Archidiaconus, & Ambrosius Terracinenensis Episcopus, & Baldonius Melphensis Episcopus, & Stephanus Trojanus Episcopus, & Ingilbertus Tuscensis Episcopus, & Giffulfus Salernitanus Princeps cum Fratribus suis Guidone & Joanne, Robertus Dux, & Rogerius Comes frater ejus, & alii plures Longobardi, & Normanni, idem Guillelmus, & Girmendus filius Gimundi, qui dicitur de Muls, miles ejus hereditarius, S. Salernitanæ Ecclesiæ, nominatim, Curtem S. Petri Dataro, & Curtem S. Viti de Siler, quæ sunt juxta eundem fluvium, & Ecclesiam S. Michaelis Archangeli, quæ sita est in Crypta montis, qui dicitur Aureus, cum omnibus hominibus & pertinentiis suis; unde idem Archiepiscopus multas inscriptiones ostendit, juris etiam hereditarii Ecclesiæ suæ esse, paratus sacramento firmare voluit, & castrum Olibani cum omnibus hominibus & pertinentiis suis, & res de lacu majore cum toto ipso lacu, & res de Tusciario, & de Lama, & de Rivo-alto, & de Asa,

Alia Salernitanæ Synodus. Nomina eorum qui interfuerunt.

Res a Guillelmo, & ejusque militibus redidit.

& de Pacentino, & Jusuni, & Salsanicum; & Forino & Anguillario, & Prato, & omnes alias res, ipsi matri Ecclesiæ & cæteris Ecclesiis Salernitanis pertinentes, sub nomine fidei, quam Deo & S. Petro debebant, in manu nostra restituerunt atque dimiserunt, & se confirmaverunt esse sub anathemate, si eas amplius præsumerent invadere. Inde nos, omnibus supradictis coram adstantibus, Episcoporum iudicio, & laudatione Longobardorum & Normannorum, qui intererant, sanctæ Salernitanæ Ecclesiæ, & per eam tibi, confrater Alfane Salernitanæ Archiepiscopo, successoribusque tuis, supradictas res & hereditates stabilivimus, concessimus, & in perpetuum confirmamus; & deinceps, salvo tuo successorumque tuorum vigore, earum invasores & depradatores & persecutores perpetuo anathematis vinculo religamus. Si quis vero contra hujus nostræ præceptionis scriptum temere agere præsumpserit, aut fautor extiterit, sciat se auctoritate B. Petri Apostolorum Principis, & nostra, a regno Dei alienatum, atque cum Juda traditore Domini in æternum damnatum. Qui autem hujus nostræ concessionis & confirmationis constitutionem observaverit devotus, a sancta & Individua Trinitate benedicatur, & aeterni regni, interventibus Dei Genitrice Maria, & B. Mattheo Apostolo & Evangelista, quorum causam adjuverit, particeps effici mereatur. (a) EGO ALEXANDER, solius Dei misericordia licet indignus S. R. & Apostolicæ Ecclesiæ Episcopus, in hac Constitutionis pagina ad confirmandum volens subscripsi. Ego Joannes Tusculanensis Episcopus, me assuisse testificans, subscripsi. Ego Hugo Ydruntinus Archiepiscopus, me assuisse testificans subscripsi. Ego Ambrosius Terracinae Episc. subscripsi. Ego Ildebrandus S. R. E. Diaconus s.

Eodem res Salernitanæ Ecclesiæ confirmantur. Cum anathematis poena contra earum invasores, depradatores &c.

PP. subscriptio;

Et Episcoporum.

XIV

Confirmatio sententiæ latæ in controversia quadam inter Clerum & Episcopum Clusinum.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei sanctæ Clusinae Ecclesiæ in perpetuum.

Ex Archivio Monast. Anianini editis Ughell. Ital. Sac. Tom. III.

Exordium.

Quoniam Divinæ misericordie respectu ad hoc universalis administrationis curam suscepimus, ut omnium Ecclesiarum quietem solerti studio procuremus, omniumque animarum prælati providere omni tempore, ac universas quæstiones in sancta Ecclesia emergentes diligenter perquirere; inquisitis vero legaliter calculum definitionis debemus imponere. Ex hac ipsa confederatione nostri officii coacti sumus quandam quæstionem in Clusinensi Ecclesia ortam sagaci indagatione tractare. Quæstio denique quædam in jam dicta Clusina Ecclesia orta est, atque in Concilio ad Apostolicam Sedem delata. Ex antiqua namque consuetudine parochianæ Ecclesiæ Clusini Episcopatus bis in anno quadam conditione Episcopo exhibebant: semel in majori

(a) Hanc Bullam Ughellus datam vult anno 1068. quod ei libenter damus.

jori hebdomada ante Pascham; secundo vero, dum Episcopus synodale concilium celebraret. Hinc nata occasione, conquesti sunt clerici illius Ecclesiæ adversus Episcopum suum, quod ipse exigeret ab eis quoddam annale tributum, quod dicebant quasi pro Christmate pretium; necnon pro administratione sacri verbi, quam illis in sua Synodo exhibebat aliud quoddam statutum. Quod nos audientes nimium exhorruimus, atque, si ita esset, omnino damnare statuimus, quia simoniae venalitate fere infecta talia videbantur. Discussimus itaque rem per hoc, prout voluimus; sed quia plurimis & maximis Ecclesiasticis negotiis occupamur, plenialiter diffinire nequimus; ac proinde ad nostram audientiam tandem deferendam statuimus tempore, quo eam nobis liceret quiete perscrutari, licet ita demum canonica diffinitione concludere. Unde actum est, ut paulo post nobis, Roma ad Lucentium preces proficiscentibus, ipsa eadem questio in itinere, dum per partes illas transiremus, representaretur, & cum inibi diu Episcopo clericisque presentibus ventilaretur, quibusdam adstantibus, nec adhuc plane diffinitionis sententiam censere dignum duximus; sicque denno venit, ut cum Luca Romam reverteremur, invitati ab Episcopo ad prædictam Clusinam Ecclesiam, pia & efficaci ipsius Episcopi rogatione inflexi, veniremus. Tunc evocato ibi universo Clero prædicti Episcopatus, maximaque parte populi congregata, super dictam quæstionem diligenti examinatione perquisivimus, residente nobiscum dilecto fratre nostro Joanne sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali Tusculano Episcopo, adstantibus quoque plurimis religiosiis Abbatibus & Sacerdotibus, etiam Raynerio filio Burgarelli, & Bernardo filio Ardinghi, multisque aliis majoribus & minoribus. Quam divino nutu provida consideratione inspectam, ita visum est nobis fore definiendam, scilicet: ut hujusmodi infamia que talibus occasionebus Clusinae Ecclesiæ inoleverat, his omnibus amputatis, abscideretur: & Statutum, quod sacri Canones de redditibus & votis Ecclesiarum præcipiunt, ab utriusque partibus inviolabiliter custodiretur. Sequentes igitur præcepta, Canoni Papali ab Episcopo quarta parte decimarum dari, temporibus vero reliquis in dispositione Episcopi presidentibus, Episcopum vero medietatem omnium primitiarum, tertiamque totius oblationis cunctarum Ecclesiarum Episcopatus, vivorum ac mortuorum, tam in terris, quam in vineis, mobilibus vel immobilibus, seu cuiuslibet generis possessionibus habere censuimus: oblationibus antiquorum Monasteriorum exceptis, videlicet, S. Anthymi, S. Salvatoris, nec non S. Benedicti, & sancti Petri in Campo. Addimus etiam, quod nullus Laicorum Ecclesias tenere, vel oblationes vivorum & mortuorum in proprios usus retorquere præsumat; sunt enim plurimi, qui Ecclesiasticas res, quasi jure hereditario a parentibus sibi relictas, impudenter usurpant; quod, quia Ecclesiasticis institutionibus nimis oppugnat, modis omnibus inhibemus. Quicumque ergo temerario ausu huic nostræ sanctioni contraxerit, & hoc nostrum apostolicum decretum in totum partemve infregerit, si ex sacris ordinibus fuerit, sui ordinis periculum incurrat; si vero laicus, nostræ apostolicæ excommunicationi subiaceat. Et insuper bannum nostrum componat septuaginta videlicet optimi auri libras, Bull. Rom. Tom. II.

medietatem Lateranensi palatio; medietatem Parti, nostrum Apostolicum servanti decretum.

Datum Perusie tertio Kal. Januarii per manus Petri Clerici, fungentis vice Petri S. R. E. Subdiaconi, ac Bibliothecarii an. ab Incarnatione Domini 1068. Pontif. vero D. Alexandri II. anno VII. Indiæ. VII.

Dat. die 30a Decemb. anno Domini 1068. Pontif. Alexandri an. VII.

XV

Confirmatio Erektionis & dotationis Canonice S. Mariæ, in Spoletana Cathedrali erectæ ab Andrea Episcopo ejsdem Ecclesiæ.

Alexander Episcopus Servus Servorum Dei, Petro venerabili Præposito Canonice sanctæ Mariæ in Matrice Ecclesiæ Spoletani Episcopatus, suisque successoribus, in perpetuum.

Quoniam Divinæ misericordie clementia nos in speculo universalis administrationis constituit, ex consideratione nostri officii cogitur universis Ecclesiis providere. Ideoque tum rogationem Episcopi tui Andreae, tum tuis devotis precibus, Amanda filii, flexi, te tuosque fratres, ac præfatum Canonicam cum omnibus sibi legaliter pertinentibus sub munimine ac tutela apostolicæ defensionis suscepimus; & confirmamus præfatæ Canonice, quicquid nunc juste habet, & quicquid prædictus Andreas Episcopus ejsdem Ecclesiæ, eidem Canonice tradidit atque concessit, videlicet plebem sancti Joannis in campo, & decimam sanctæ Mariæ in campo cum decima Azzanæ Fractæ, ac plebe sancti Gregorii in Nido, & Curiam sancti Angeli in capite cum omnibus infra se habentibus, & plebem de Vereiano, & plebem de Turino, & plebem de Bernano, & plebem de Lederano, & tres partes totius civitatis, decime videlicet Spoletinæ cum tribus partibus oblationum vivorum ac mortuorum, & terram totam pertinentem præfatæ Canonice, & quicquid prædicta Canonice deinceps iuste acquisitura, & tam largitione prædicti Episcopi Andreae, sive omnium successorum ejus, quam oblatione quorumcumque fidelium in plebibus, & cappellis, decimis, & pertinentiis, terris, & vineis, seu cuiuslibet generis possessionibus: salva in omnibus reverentia proprii Episcopi. Concedimus itaque tibi Petro Præposito & omnibus ejsdem Canonice fratribus vestrisque omnibus successoribus hæc omnia, quæ supra scripta sunt; statuentes, ut nullus Archiepiscopus, Episcopus, Rex, Dux, Marchio, Comes, seu aliqua Ecclesiasticarum vel secularium magna parvaque persona, vos inquietare, & jam dictam Canonicam de omnibus supra memoratis rebus disvestire, vel quid ab ejus jure in aliud transferre præsumat: servato iu omnibus jure sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & privilegio. Quisquis autem temerario ausu, quod ab sit, hujus nostræ sanctionis privilegium contraxerit, & illud in totum partemve infregerit, nisi admonitus digna satisfactione, quod contra nostra apostolica statuta deliquerat, emendaverit, sciat se apostolicæ excommunicationis ac anathematis vinculo graviter innodatum.

Ab Originali editis Ughell. Ital. Sac. Tom. I. col. 442.

Exordium.

Bona confirmantur, & sub protectione S. A. recipiuntur.

Enumeratio hujusmodi bonorum.

Et omnium immunitas ab omni molestia vi &c. cuiuscunque personæ.

Anathema contra Sanctionis hujus violatores.